

III. Recte proinde dixit Eugenius IV. in Instructio-
ne pro Armenis: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti
est Episcopus.*

Similiter Synodus Tridentina *Seff. 23. cap. 4. De Ordi-
ne*, docet, Episcopos Presbyteris superiores esse; ac Sacra-
mentum Confirmationis conferre; *ministros Ecclesie
ordinare*; atque alia pleraque peragere ipsos posse: qua-
rum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis
nullam habent.

IV. De *ordinaria* potestate hic loqui Synodum, non est
dubitandum: cum optime novissent Patres Tridentini, Ab-
bates jure *privilegiato*, ministros Ecclesie inferioris
ordinare; Ordines nimirum Minores conferendo: de
quo jure *parte 1. tit. 31. cap. 6.* Notum quoque erat Patri-
bus, multos & Theologis & Canonistis sustinere, nec sine
fundamento, Presbyterum posse auctoritate *delegata* ordi-
nare Diaconum, quin & Presbyterum, juxta illud Glossæ
ad Can. 4. Dist. 5. De Consecrat. *Ordinatus Ordinem
quem habet, confert Papa delegante.* Quod ex antiquis
Canonistis & Scholasticis latius prosequitur Morinus de SS.
Ordinat. *parte 3. exercit. 4. cap. 3.*

V. Hoc interim habetur, *Ordinarium* Ordinationis
Ministrum esse Episcopum. Sed quia singulorum Episcopo-
rum auctoritas & potestas ab ipsis pene Ecclesie exordiis,
certis terminis circumscripta fuit; atque confusio evi-
tandæ causæ statutum, ne quis in alienos terminos suam ex-
tenderet jurisdictionem; sed suis singuli essent limitibus con-
tenti, uti *parte 1. tit. 16. cap. 3.* dictum est; tamquam
consequens jam pridem decretum fuit, ne quis Episcopus
alterius Episcopi Ecclesiam turbaret, jura Ordinationis sine
ejus licentia in alienos subditos exercendo.

Synodus Nicæna *Canone 16.* postquam vetuit, Presby-
teros aut Diaconos à suis Ecclesiis sine Episcopi licentia re-
cedere, subjungit: "Si quis autem ad alium (Episcopum)
pertinentem audaciter invadere, & in sua Ecclesia ordina-
re tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit
is, qui regulæ mancipatur ordinatio hujusmodi irrita
comprobetur.

Similiter in Synodo Sardicensi suggerente Osio unani-
mi sententia Patres dixerunt: "Et hoc Universi constitui-
mus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum
ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine volunta-
te ordinare, non sit rata ejus Ordinatio. Quicumque au-
tem hoc usurpaverit, à Fratribus & Co-Episcopis nostris
& admoneri debet & corrigi.

Rationem Decreti præmiserant: "Quia ex his conten-
tionibus solet nasci discordia, & ideo prohibet omnium
sententia, ne quis hoc facere audeat.

De hac disciplina seculo V. ita loquitur Synodus Ve-
netica: "Episcopus quoque ab aliis Episcopis *ordinatus*
Clericos, sine permisso eorum, à quibus fuerint ordinati,
promovere ad superiorem ordinem non præsumat, ne
concordiam fraternam injuriâ illatâ contamineat.

Infiniti pene sunt Canones antiqui & recentiores hanc
disciplinam stabilientes, quos Ordine seculorum servato
refert Franciscus Hallier De SS. Electionibus & Ordinationi-
bus *parte 2. Seff. 5. cap. 3. art. 1. §. 1.*

VI. Sed quid si *Clericus* unius Ecclesie, ex alia Diocesi
oriundus esset; aut forsitan alibi domicilium haberet, nonne
ab Episcopo *Originis* aut *domicilii* ad alio rem gradum
promoveri poterat; etiam *sine licentia* Episcopi, cujus Ec-
clesie per Ordinationem erat adscriptus? nequaquam, id
enim pristina Patrum disciplina non admittebat.

Hoc ipso enim, quo quis in Clericum aut Ministrum
Ecclesie ordinabatur, mox ei Ecclesia vinculo perpetuo,
nec sine voluntate Episcopi solubili, alligabatur, & in subdi-
tum Episcopi illius Ecclesie transibat; ut amplius nec ori-
ginis nec domicilii ratio haberetur: credebaturque, Cleri-
cum nec alibi, quam in sua Ecclesia, cui servire tenebatur,
domicilium habere.

VII. Imò uti advertit & multis exemplis probat Hallie-

rius loco citato §. 4. olim in Ordinatione vix *Domicilii* aut
Originis ratio habebatur; nec penam ullam decretam re-
perimus in Episcopum, qui alienum *Laicum* in *Clericum*
suum ordinasset; adeò ut omnes Canones eo tendere vide-
rentur, ne quis *alienum Clericum* seu Ministrum ab Ec-
clesia cui additus erat, abstraheret; atque per Ordinationem
sue Ecclesie adscriberet.

VIII. Præcipuus ergo titulus, ratione cujus quis *proprius*
Episcopus quo ad Ordinationem, juxta pristinam Patrum
disciplinam existimabatur, erat alicujus in Clerum adscri-
ptio: quæ semel facta, licebat huic Episcopo Clericum hunc
ad superiores Ordines promovere: alius verò nullus, sine
hujus licentia, illum ordinare poterat.

IX. Porro, quemadmodum olim ipsa Ordinatio Ordi-
natum certe Ecclesie astringebat: ita hodie Beneficii Eccle-
siastici adeptio Clericum Ecclesie, in qua est titulus ipsius
Beneficii adscriptus censetur; & Clericus seu Minister illius
Ecclesie reputatur.

X. Itaque sicuti antiquitus Ordinatio subiciebat Ordi-
natum Episcopo illius Ecclesie ad quam ordinatus erat, ita
hodie Beneficium subicit Clericum Episcopo, sub cujus
Diocesi situm est Beneficium, habeturque eatenus *proprius*
ipsius Episcopus ut ab illo tamquam proprio Episcopo ad
Ordines superiores promoveri queat: cum notabili tamen
differentia inter modernam & pristinam disciplinam.

XI. Pristina enim disciplina, non nisi *unicum* ipsius Cle-
rici alicui Ecclesie per Ordinationem adscripti *proprium*
Episcopum agnoscebat; ita ut nullus alius Episcopus citra
hujus licentiam posset jure *ordinario* Clericum ad superio-
res Ordines promovere; at moderna disciplina, præter titulum
Beneficii agnoscit insuper *duos* alios titulos, scilicet
Originis & *Domicilii*; in tantum ut ratione omnium tri-
um titulorum quis dici queat eodem tempore, & respectu
ejusdem Clerici *proprius* Episcopus: atque per consequens
queat Clericus Beneficiatus tres habere Episcopos *proprios*,
ut à quolibet sine alterius licentia ad Ordines promoveri
valeat.

XII. Quo præcisè tempore hæc mutatio disciplinæ ince-
perit, incertum est; hoc constat, nullum reperiri Canonem,
nullamque Decretalem qua hic *triplex* titulus probeatur,
ante Decretalem Bonifacii VIII. relatum in *Cap. 3. De
Temporib. Ordinat. in VI.* Sedit autem Bonifacius sub fi-
nem seculi 13. & initium seculi 14.

In hac Decretali dicit Bonifacius VIII. "Cum nullus
Clericum Parochie alienæ, præter Superioris ipsius licen-
tiam debet ordinare; Superior intelligitur in hoc casu
Episcopus, de cujus Diocesi est; qui ad Ordines promo-
veri desiderat, *oriundus*, seu in cujus Diocesi *Beneficium*
obtinere Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit)
Domicilium in eadem.

XIII. Episcopus originis, de quo in citata Decretali, dici-
tur Episcopus loci è quo ipse Ordinandus est *oriundus*;
hoc est, *originem* habet, *sive natus* est; quemadmodum
fat indicat ipse Pontifex, quando loquens de *Domicilio*, po-
nit hanc parenthesim, *licet alibi natus sit*; quibus verbis
manifestè idem indicat, quòd ante dixerat de *origine*; ita
ut juxta Pontificem eadem sint, *natum* esse, & *ori-
undum*.

Quapropter, tametsi olim major soleret esse respectus ad
locum ubi quis esset *Baptizatus* seu spiritualiter *regenera-
tus*; quam in quo esset *carналiter natus* seu *generatus*; ta-
men hodie, spectata hac Decretali, si contingeret, aliquem
uno loco esse *natum*, & alio *Baptizatum*, videretur potior
ratio habenda quo ad susceptionem Ordinis, Episcopi *na-
tivity*, quam Baptismi.

XIV. Similiter, tametsi leges habere videantur pro loco
originis filii illum in quo pater ejus natus est *l. 6. §. 1. Ad
Municipalem*, tamen verius est, juxta hanc Decretalem,
per Episcopum *Originis* intelligi Episcopum, loci in quo
ipemet Ordinandus *originem* habuit; *sive natus*
est; non autem loci è quo Pater ejus oriundus
est.

est. Unde Nicolaus Garcias De Beneficiis *parte 7. cap. 9.*
num. 25. postquam dixit, de stylo Curie verbum *Oriun-
dus* accipi pro *orto*: tamquam consequens docet, quòd *O-
riundus* de aliqua civitate est, qui *natus* est in illa civitate,
non in qua Pater ejus *natus* fuit: Neque in Gallia, uti mo-
net Hallierius *parte 2. seff. 5. cap. 3. art. 3. §. 2. paternæ ori-
ginis* quo ad Ordines recipiendos ulla solet haberi ratio;
ideoque monet, tutum non esse, quòd quis ad Episcopum
loci *nativitatis paternæ* pro suscipiendis Ordinibus accedat;
si nullo alio titulo is *proprius* Episcopus sit; quòd & in Belgio
merito attenditur; quia nec hic originis paternæ rationem
haberi videmus; maxime quia nec cum Decretali Bonifacii
VIII. congruere videtur.

XV. Episcopus *Domicilii* censetur Episcopus ejus loci
in quo Ordinandus *Domicilium* habet.

Hic titulus olim parum notus erat; uti notat Hallierius
loco citato *art. 4. §. 1.* qui deinde §. 2. ostendit, quæ ratione,
necessarium fuerit posterioribus seculis magis, quam olim
remittere Ordinandos ad Episcopum *Domicilii*; atque hinc
tandem legem Ecclesiasticam natam, quæ Episcopum *Do-
micilii* pro proprio Episcopo Ordinationis agnoscat.

Ut verò quis hoc titulo Episcopum pro Ordinibus susci-
piendis accedat, requiritur, ut revera *Domicilium* in ejus
Diocesi fixum habeat.

XVI. Quando verò quis *Domicilium* alibi fixisse censea-
tur, explicant Imperatores in *L. CIVES Cod. De Incolis*,
dum ajunt: "In eodem loco singulos habere *Domicilium*
non ambigi, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum
suarum summam constituit, unde rursus non sit disces-
sus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari
videturque si redit, peregrinari desistit.

XVII. Ut verò quis hujusmodi *domicilium* fixum firmumque
elegisse censetur, potius ab animo atque circum-
stantiis, quam à temporis spatio desumendum est.

Fieri enim potest, ut quis pluribus annis in loco aliquo
moretur, nec tamen eo in loco *domicilium* fixum firmumque
habeat credatur, ratione cujus posset ab Episcopo illius
loci ad Ordines promoveri.

XVIII. Exemplum est notorium in degentibus studio-
rum causa in Academia; quin & in nonnullis Professoribus
inferiorum præsertim scientiarum, qui multis subinde an-
nis continuo in Academia morantur; sed tamen *fixum firmumque*
domicilium non videntur habere; eò quòd ea sit
professio illarum conditio, ut aliquot annorum curri-
culo absoluto, eam deserere & aliò migrare professores so-
leant; nec eo animo videantur suscipi, ut perpetuò in ea
functione persistant.

Unde nec Professores Humaniorum, nec Philosophiæ;
neque Pædagogiorum Regentes vel Vice-Regentes solent
pro Ordinibus recipiendis ad Archiepiscopum Mechlinien-
sem, in cujus Diocesi Universitas Lovaniensis est constitu-
ta, pro Ordinibus accipiendis recurrere; neque credo, eos
facile hoc solo titulo recipiendos.

XIX. Quin nec commemoratio in aliquo loco sufficiens, ut
quis dicatur ibidem habere *domicilium* ad suscipienda alia
Sacramenta, v. gr. Communionem Paschalem, quin & Ma-
trimonium contrahendum, semper sufficit pro constituen-
do *domicilio* sufficiente ad recipiendos Ordines. Firmius
enim magisque fixum *domicilium* videtur pro recipiendis
Ordinibus requiri, uti loco citato notat Hallierius,
& quotidiana praxis in juventute Academica evin-
cit.

XX. Cæterum quia *domicilii* probatio difficilis est; nec
facile vera *domicilii* electio à ficta ac simulata discerni po-
test, merito laudat Hallierius loco supra indicato §. 9. Episco-
pos Gallie, quod "ab Ordinatione Clericorum qui alibi
nati sunt, sibi temperare soleant, non quòd ut opinor (ait)
id sibi interdictum putent, sed quòd originis probatio fa-
cilior sit & expeditior, ad cujus proinde Episcopum re-
mittunt, nisi in extranea quis patria, vel extra paternum
Van Esen Jur. Eccl. P. II.

domicilium fortuito natus sit, quo casu *domicilii*, quòd
originis locum quo dammodo obinet, rationem habent,
& Ordines eis conferunt, qui apud eos *domicilium* ha-
buerint.

Hæc Hallierius, qui ibidem notat, jus originis multum
præponderare juri domicilii: Quòd jus originis naturale sit,
jus domicilii tantum civile, jus originis necessarium, jus do-
micilii voluntarium; hoc variabile & temporarium, illud
immutabile.

XXI. Sicuti commemoratio plurium etiam annorum non
sufficit, ut quis habere censeatur fixum firmumque domici-
lium; ut ratione illius possit ab Episcopo aliquo ordinari;
ita nec ea semper requiritur, ut verum *domicilium* in aliquo
loco figatur. Potest enim aliquis sine mora temporis ad ali-
quem locum verè migrare; ibique animo semper manendi
larem, rerumque ac fortunarum summam constituturæ; at-
que ita firmum fixumque *domicilium* eligere; sed quia si-
milis subitanea *domicilii* electio, fraudibus & fictionibus
obnoxia est, nisi temporis mora juvetur, merito S. Carolus
in Concilio IV. Mediolanensi *parte 2. tit. 8.* decrevit
ne quis ratione *domicilii* ab Episcopo ordinetur, nisi ut mi-
nus decem annis in eodem loco commoratus esset; volens,
ut suscepturus Tonfuram vel Ordines probeat, se vel ori-
gine, vel Beneficio Ecclesiastico, quòd in Diocesi obinet
vel DECENNALI *domicilio*, vel alia quavis legitima ratione
Diocesanum esse.

XXII. Titulo Beneficii, *proprius* Episcopum constitui
illum in cujus Diocesi Beneficium situm est, manifestum est
ex citata Decretali Bonifacii VIII. eumque titulum ex veteri
disciplina originem traxisse supra notavimus.

Nec refert si Beneficii hujus provilio seu collatio spectet
ad alium Episcopum; modò revera titulus Beneficii sita in
Ecclesia huic Episcopo subiectæ; live quòd Beneficium quo-
ad Episcopalia jurisdictioni Episcopi subiciatur; ita Garcias
De Beneficiis *parte 2. cap. 4. num. 15.*

XXIII. Adhæc, attenus verbis ipsius Decretalis, indiffe-
rens est, quale sit Beneficium; an simplex; an cum Cura ani-
marum; an requirens residentiam, an eam non requirens;
an multos, an paucos proventus annexos habeat; modò ta-
men sit verum Beneficium; & in titulum Beneficii possideat-
ur.

XXIV. Imò licet Beneficium adeò esset tenue in proven-
tibus, ut non esset sufficiens pro *vinculo* ordinationis, nihilo-
minus, si sit verum Beneficium, valebit ut ratione illius effi-
ciatur subditus Episcopi, cui Beneficium illud subicitur, at-
que possit ab illo tamquam *proprio* Episcopo ordinari, etiam
ad titulum alterius Beneficii aut patrimonii.

XXV. Quin si plura Beneficia in diversis Diocesium
possideat, habeat & ratione Beneficii tot *proprios* à quibus
ordinari possit, etiam sine dimissorialibus, quòd possidet
Beneficia.

XXVI. Si tamen ex circumstantiis appareat, Benefici-
um esse tantum impetratum, ut subterfugiat proprii Episco-
pi examen, & alieno se subiciat, Beneficium ita impetratum
eum non subicere Episcopo illius Beneficii, non semel de-
claravit S. Congregatio: uti refert Fagnanus his verbis:
"Clericus primæ Tonfuræ, qui Beneficium obinet in alia
Diocesi, etsi promoveri possit ad minores Ordines ab E-
piscopo Beneficii *quantumvis tenuis* ad prescriptum ca-
pituli *Cum nullus, Tit. De Temporibus Ordinationum in
seff. 6.* tamen si illud beneficium sibi *in fraudem* confer-
ri curavit, ut eludat examen ac iudicium sui Ordinarii
censetur *malè* promotus, & remanet suspensus ab execu-
tione Ordinum tamquam ordinatus à non suo Episcopo
juxta *caput 8. Seff. 23.* ut Sacra Congregatio declara-
vit.

XXVII. Episcopi Gallicani animadvertentes, ex multi-
plici titulo quo quis *proprius* Episcopus efficitur, occasio-
nem suppeditari Clericis ineptis in Sacros Ordines involan-
dis; & Episcoporum, quibus vita illorum nota est, & quorum

examen subire metuunt, subterfugendi, in generali Conventu Cleri Gallicani anno 1677. declaravit: Vix dignosci posse, quantum annorum ad domicilium figendum requiratur, & vix posse rationem haberi Episcopi beneficii; cum non ita jam (ut olim) quique Clerici Ecclesie sue assignantur: cum beneficio nuntiare, cum plura possidere possint in variis Diocesis, quo Clericis evagandi & levandae obedientiae ansa praeberetur, Decretum Bonifacii VIII. de *tribus* Episcopis propriis vix in Gallia receptum unquam fuisse; porro expeditissimum jam esse, ut Episcopus proprius non esset nisi unus à quo posset ordinari. Denique decretum est, monendos hortandosque Episcopos, ne quos ordinarent nisi ex suis Diocesis originos.

Hæc declaratio ostendit, Episcopos Gallicanos præcipuam rationem haberi voluisse Episcopi *originis*; eò quod hic titulus non sit ita mutabilis; neque tot fraudibus subiectus, sicut titulus *Domicilii* aut *Beneficii*.

XXVIII. Hanc Episcoporum Galliae declarationem & consuetudinem, quæ licentiam ordinandi passim ad unum Episcopum *Originis* restringit, nec licentiam à variis Episcopis recipiendi Ordines passim indulget, non improbat Hallierius, tamen exoptat quam maximè, neminem qui beneficium residentiam requirens, præsertim verè curatum habet, abque ejus in cuius Diocesi tale beneficium obtinet, licentia à quopiam ordinari: possit enim ille, quem fortè ad beneficium non admisit, ab ordinatione, si indignus esset, rejicere; possit & eundem si post obtentum beneficium aliquid refectione dignum fecisset vel olim fecisset de novo deprehenderetur, ab Ordinatione repellere, qui sine ejus licentia ordinatus Ecclesie scandalo & infamiae futurus est.

XXIX. Et sanè, si quis in aliqua Ecclesia beneficium possideat, eique jam notabili tempore deservierit; atque ex conditione beneficii aut aliunde sufficienter pateat, eum perpetuò eidem deserviturum, omaino rationi ac pristinae disciplinae consentaneum est, ut is non nisi ab Episcopo beneficii ordinetur. Similis enim Clericus, eum titulo beneficii perpetuo vinculo quasi Ecclesie illi censetur alligatus, rationem Canonum, qui adeò enixè verèrunt, alienum Clericum à quovis Episcopo ordinari, hic locum habere non obscurum erit, si quæ suprà de his Canonibus dicta sunt expendantur.

XXX. Quocumque autem titulo sive *Beneficii*, sive *Domicilii*, sive *Originis* constituatur proprius Episcopus, habeat licentiam non tantum conferendi Ordines; sed etiam dandi *Dimissionales*, dispensandi super *interdictis*, aliaque faciendi quæ passim ab Episcopis circa Sacras Ordinationes respectu suorum subditorum licent, ut post alios docet Barbosa De Potestate Episcopi *parte 2. allegat. 4.* & quotidiana praxis probat.

XXXI. Synodus Tridentina nihil circa titulum, quo quis proprius Episcopus efficitur mutavit aut definiit; sed id non uno Decreto stabilire studuit, ut nullus ab alieno Episcopo, nisi de proprii licentia, ordinetur.

Imprimis *Sess. 6. cap. 5. De Reformat.* statuit: "Nulli Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in aliterius Diocesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subiectas."

XXXII. Huic Decreto nonnulli Episcopi merè Titulares fraudem facientes, Cathedram collocabant in aliquo loco nullius Diocesis; atque ibi quocumque ad se venientes, etiam si suorum Episcoporum seu Prælatorum Litteras commendatitias non haberent, Clericali characterè insignire, & ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoverè præsumebant; quo plerumque fiebat (ait Synodus Trident. *Sess. 14. cap. 2. de Reformat.*) ut minus idonei, & rudes ac ignari, & qui à suo Episcopo tamquam inhabiles & indigni rejeçti fuerunt ordinati, nec divina

Officia peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta rectè valeant ministrare.

Incommoda quæ hic notat Synodus, hodie etiam difficulter evitantur ob libertatem adeundi plures Episcopos pro Ordinibus recipiendis, quemadmodum ante indicavimus.

Interim Synodus ut iis occurrat decernit: "Nemo Episcopus, qui Titulares vocantur, etiam si in loco nullius Diocesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis Ordinis residerint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quocumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commensalitatæ suæ, abque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissis, foris ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel primam Tonfuram promoverè seu ordinare valeat."

XXXIII. Cum autem incommoda suprà recitata non minus metuenda sint, si unicuique liceat à quocumque vero & non Titulari Episcopo ordinari, quàm si à Titulari, Synodus suum Decretum extendens statuit generaliter *Sess. 23. cap. 8. De Reformat.* ut "Unusquisque à proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permittatur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorem Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinatio videbitur expedita, sit suspensus."

XXXIV. Tamest Synodus hoc Decreto specificè non exprimat *Tonfuram* Clericalem, tamen quia generaliter vult, unumquemque à proprio Episcopo ordinari, etiam sub illa generalitate comprehendisse videtur ipsam *Tonfuram*: cum eam suscipiens, etiam, in latiore saltem significatione, dicatur *ordinari*. Et ratio quæ vetat quempiam in alienum subditum Pontificalia exercere, etiam in collatione *Tonfuræ* Clericalis militat: quod scilicet, exercitium Pontificalium sit species jurisdictionis, saltem voluntariæ, quæ in non subditum exerceri nequit.

XXXV. Ad hæc quia Synodus Tridentina etiam suo Decreto excludit *cujusvis generalis vel specialis rescripti prætextu*, consulta S. Congregatio Concilii Interpretes, an qui facultatem à Sede Apostolica obrinuit ut possit ordinari ab alio, quàm à suo Ordinario, debeat nihilominus probitatem suam, & mores Ordinarii sui testimonio comprobare: Respondit ita debere, prout Signatura Gratiæ jam dudum solita est in hujusmodi facultatibus ponere clausuram, *De Licentia Ordinarii*, cujus testimonio mores & probitas commendentur." Ita Fagnanus ad *Cap. CUM SECUNDUM De Præbendis num. 54.*

XXXVI. Decreti prædicti generalitas; nec non expressa clausula, *etiam cujusvis generalis vel specialis privilegii prætextu*, sat ostendunt, Synodum voluisse non tantum sæculares, sed etiam *Regulares* quocumque privilegio munitos suo Decreto comprehendere.

Deinde *cap. 10.* ejusdem Sessionis, nec Abbati permittit, *Regulari* cuicumque Tonfuram aut Minores conferre, qui, non sit *ejus subditus*; sed horum omnium ordinationem ad Episcopos, intra quorum Diocesis fines existunt, pertinere vult. Quo satis ostendit, *Regulares*, qui Abbatibus illis non subsunt, ordinationem ad Episcopos *intra quorum Diocesis terminos existant*, pertinere; idque, ut subdit Synodus, *non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

XXXVII. Indulgit quidem Pius V. Constitutione sua quæ incipit, *Essi Mendicantium 41.* in Bulla Romana Fratribus Mendicantibus, quod Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii loci licentia minimè requisita, in locis seu domibus

bus Fratrum hujusmodi, sive alibi recipere possent, sed Pius V. immediatè successor Gregorius XIII. hanc Constitutionem Pii V. reduxit ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini, per Bullam quæ incipit *In ranta 9.* in Bull. Rom. atque omnia ita esse voluit, quo futura essent, si litteræ illæ Pii V. non emanassent, *ad quam dispositionem & decisionem, summeque integram statum, ac terminum illa omnia (ait) reducimus.*

Itaque attentà hac reductione ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini, hodie, Regulares non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus sine licentia Diocesanorum, uti rectè advertit Barbosa de Officio Episcopi *parte 2. Allegat. 4. num. 61.*

XXXVIII. Postmodum emanavit declaratio quedam S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretis probata à Clemente VIII. quæ declaratum est, "Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diocesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab eis ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit."

Hic duo declarantur: primum, Regularem pro Ordinibus suscipiendis non posse à Superioribus suis mitti nisi ad Diocesanum suum.

Secundum, Diocesanum Regularium censerè, Episcopum illius Monasterii, in cuius Diocesi situm est Monasterium in quo Regularis Ordinandus collocatus fuit ab iis ad quos pertinet; ita scilicet ut de familia illius Monasterii censeatur; sive incorporatus sit illi Conventui; adeoque verè dicatur jam esse de illo Conventu seu familia, ac ibi secundum disciplinam Regularium, qui Conventum de voluntate Superiorum mutare subinde solent, verè dicatur ibi habitare & domicilium habere.

XXXIX. Unde Superiores Regulares qui subditos suos mittunt ad certos Conventus eà dumtaxat intentione, ut ab Episcopis illorum Conventuum ordinari queant; mox eosdem Ordinatos ad priores Conventus revocaturi; indubit Concilio Tridentino, & Constitutionibus Pontificiis fraudem faciunt; ac revera subditos à non Diocesanum ordines suscipere permittunt; quandoquidem evidens sit, Regulares sic ad alios Conventus euntes, priorem Conventum revera non deserere, neque familiam mutare; sed de familia seu Conventu priori manere; ac per consequens, Episcopo hujus Conventus subiectos.

Itaque Regulares censentur esse de Diocesi Episcopi in qua situm est Monasterium in quo verè habitant, sive cujus familiae sunt incorporati; etiam si aliunde sint oriundi, juxta *Cap. 3. §. RELIGIOSI De Temporib. Ordinat. in VI.* Neque alium Diocesanum sive Ordinarium habere censentur: eò quod per professionem Religiosam, *origini* quodammodo renuntiant.

Si tamen de Regularibus agatur, qui beneficiorum sunt capaces, non apparet, quare non possit quoque titulo Beneficii Regularis promoveri ab Episcopo in cuius Diocesi situm est Beneficium.

XL. Additur deinde in citata Declaratione Congregationis: "Et si Diocesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examine tur quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares, non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo Diocesanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus ordinationes esset. Verum cum à Superioribus Regularibus Episcopo Diocetano absente, vel ordinationes non habente, litteræ dimissoriae dabantur, in eis utique hujusmodi causam absentie Diocetani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse; quod qui non fecerint, officii, & dignitatis seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas, incurrent."

Van Espen *Jur. Eccl. P. II.*

Declaratione illa relata subdit Hallierius loco citato. Hanc, ni fallor, moderationem & interpretationem Tritonæ Synodi Regularium importuna flagitioses extorserunt, cui tamen ne sic quidem parere aliqui ipsorum volunt.

XLI. Quidquid sit de hoc Hallierii asserto, fraudem apertam illi declarationi faciunt, & menti Pontificis contraveniunt, qui credunt & asserunt, superiores posse ex industria disterre dationem dimissoriarum suis subditis usque ad id tempus quo Episcopus sit absens, vel nullas habiturus sit ordinationes. "In quocumque casu, in quo Regulari Prælati constat, subditos duos esse, & quantum ad mores, & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos, & tamen habeat unde probabiliter timeat fore, ut ab Episcopo rejiciantur: quia tunc rationabiliter movetur, & verè utitur jure suo, non faciet contra Decretum Clementis VIII. si expectet tempus, in quo non sunt habendæ Ordinationes in Diocesi, ut subditos suos extra Diocesanum dimittat Ordinandos."

Ita nuperus Auctor Consultationum Canoniarum *Consult. 3. resolut. 6. n. 809.*

XLII. Quo posito quid sequitur, nisi quod quocumque Superior probabiliter timeat fore, ut ab Episcopo non sint admittendi ad Ordines, quos ipse præsentandos duxerit (hos enim & quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos judicat) tunc non faciet contra Decretum Clementis VIII. si expectet tempus in quo non sunt habendæ Ordinationes in Diocesi, ut subditos suos extra Diocesanum dimittat Ordinandos: sive quod secundum modernam praxim loquendo idem est, si probabiliter timeatur fore, ut ab Episcopo non omnes indifferenter Regulares, præsertim Mendicantes, etatem & certum in Religione tempus habentes, admittentur.

Quid enim notius, quàm omnes planè Regulares, si filios, quos Laicos vocant, excipias, mox ut etatem atigerint, certoque tempore in Religione vixerint, Ordinibus Sacris, & quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos à Superioribus judicari?

Si hoc non sit fraudem facere Declarationi & Ordinationi Pontificis, nescio quid tandem erit fraudem facere; sed de hac aliisque similibus fraudibus, quibus nonnulli se conantur subducere examini suorum Episcoporum, qui secundum suum genium rigidiores videntur, fufus egi in libello cui titulus, *Repagulum Canonium adversus nimiam Exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem.*

XLIII. His aliisque incommodis, quæ ex recurfu ad varios Episcopos pro Ordinibus suscipiendis oriuntur, medendis, modernus Pontifex Innocentius XII. Constitutionem edidit quæ incipit, *Speculatores*; quæ pene omnia quæ tum ex declaratione S. Congregationis; tum Decretis Episcoporum circa proprium Episcopum relata sunt, confirmantur; unde textum Constitutionis quo hæc exprimuntur, hic apponendum credidi.

"Decernimus, ac declaramus, nulli Episcopo seu cujusvis loci Ordinario, tamest Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam, ac sibi ratione Originis, seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti non Subditum ad Clericalem Tonfuram promoverè, cujusvis Beneficii Ecclesiastici etiam ac Tonfuræ hujusmodi insignitus fuerit, seu ad quod is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiam si Beneficium prædictum de novo ea expressè adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis inmediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituat; præterea Clericum, qui legitime jam à proprio Episcopo ad eandem Clericalem Tonfuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii, in illius Diocesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales

Mm 3

lite-